

Pio fuerat decoratus, exorirentur, quod ejus legato, ut ipse ajebat, adversante, ne dum se incio, effectum fuerat; qua ex re suæ detractum auctoritati, Cæsarei fastigiū decus imminutum esse, acerbè admodum conquerebatur; gestisque pontificiis, uti juri adversis, rescissis, legatos, qui id illi obnunciarent, Romam miserat. Senatus vero, ne ex parvis initiis ingens excitaretur incendium, omnem industriam, ac studium ad Pii, ac Maximiliani conciliandos animos adhibebat.

Ac ne in communi causa Carolus Gallorum Rex prætermisus videretur, licet civilibus tempestatibus Gallia jactata, illum a vetusta Ottomanorum amicitia abducere difficile admodum Patres arbitrarentur; attamen Aloysio Contareno legato imperant, Carolum hortetur, suadeat, ne periclitanti christianæ reipublicæ desit, foedus adversus communem hostem amplectatur; id Christianissimis, quos gerit, titulis convenire; majorum suorum præclaris meritis ab se deberi; Gallorum virtutis proprium esse, qui, immensis terrarum marisque spatiis peragratis, Christi Servatoris vexilla in remotissimas regiones intulerant, ac de barbaris, præferocibusque gentibus triumphum egerant. His Reipublicæ officiis vehementer Pontifex favebat, haud parum conducere ratus, si maximum, ac potentissimum Regem foederi adjungeret. Quamvis enim innumeris tunc Galliæ regnum difficultatibus premeretur, minoraque ob id expectari subsidia possent; attamen auctoritate quamplurimum roboris, atque existimationis fociis accessurum videbatur. Verum Carolus, pietate quamvis ac religione insignis, ea temporum conditione regnum nactus fuerat, qua ob religionis diffidia, inveterataque procerum odia, ingentibus fluctibus cuncta exæstuabant. Quocirca legato Reipublicæ respondet: *Cur societatem cum reliquis Principibus inire nequeat, notum esse; sperare, Rempublicam, quæ eximiam illius voluntatem perspectam, ac cognitam babeat, justas excusationes probaturam. Sed prospicientem, in quot bellorum anfractus sese demitteret, vehementer capere, ob damna, ac molestias, quæ assidui bellorum comites esse solent, ne cum Turcis arma consereret: quapropter si quid pro pace confirmanda posset, omnem operam cum Rege*

H. Mauroceni T. II. S sibi

Venetorum
officium cū
Carolo
Gallia Re-
ge.

Caroli Re-
gis respon-
sum.